

REGI CHRISTIANISSIMO

LUDOVICO MAGNO

VICTORI, TRIUMPHATORI, PACIFICO.

AUGUSTINUM, Ecclesiae lumen et oraculum, Caroli Magni quondam delicias, Rex Christianissime, novo cultu, novisque typis adornatum tibi sistimus, sub immortalis nominis tui praesidio immortalitate altera donandum. Hunc aliquando Basileae veluti nascentem Germania excepit; Lovanii recognitum, auctumque fovit Belgium; eundemque genuinae (quantum in nobis fuit) integritati restitutum nunc tandem exhibemus: adeo ut collatis quasi dexteris et officiis, Belgae cum Germanis, cum utrisque Galli ad perficiendum munus Ludovico Magno dignum conspirasse videantur. Nimirum victori ac triumphatori conveniebat tot pacatorum populorum commune hoc monumentum; planeque decebat, ut Augustinum integrum, purum atque tersum, Ecclesiae doctorem maximum, perpetuum haereticorum flagellum, Regum augustissimo, maximo, invictissimo ac religiosissimo consecrarem.

Neque vero de Majestatis tuae favore, Rex Augustissime, dubitare nobis licet, quandoquidem amplissimum illud privilegium a teipso nobis concessum, obsignatum et assertum; scripti codices e Regia Bibliotheca te jubente affatim suppeditati; litterae ad externos nomine tuo in rem nostram missae; ad haec Augustini meritum, fama et auctoritas certissimam spem nobis ingerunt, te hujusce editionis fautorem, patronum, ac vindicem fore. Enimvero quis Principis Christianissimi studio et existimatione dignior Augustino, quem Hieronymus, et sui temporis cum eo Catholici, velut *antiquae rursus fidei conditorem* suspexere? Ipse est Doctorum lumen, antiquiorum Patrum humilitate ac religione discipulus, aequalium doctrina facile princeps, subsequentium dux ex magister: quem viventem Africani Patres uti Spiritus sancti interpretem secuti sunt in condendis sanctorum Ecclesiae regulis, veneratus est inter Pontifices maximos Innocentius I, litteris dignati Honorius et Theodosius Imperatores Augusti: cujus mortui doctrinam concilia, sanctissimi quique pontifices et episcopi, Caelestinus papa cum primis et Gregorius Magnus honorificentissime praedicarunt.

Nefas sit hoc loco praeterire Christianissimos Francorum Reges, antecessores tuos, Maxime Princeps, quorum non impar exstitit in tantum virum observantia. Inde est, quod cum munus regia majestate haud indignum exquireret Engelbertus Corbeiensis Abbas, non aliud Ludovico Regi magis acceptum, quam Augustini de Doctrina Christiana libros existimavit: et Carolus V, cognomento Sapiens, libros de Civitate Dei gallice redditos sibi nuncupatos, singulari dignatione complexus est. Sed illud in primis memorandum, quod sancti Doctoris lectionem non modo Rotberto regi Adalbero Laudunensis episcopus commendavit; verum etiam in deliciis habuit qui unus plurimorum instar esse debet, Carolus vere Magnus. Is enim, teste Eginhardo, *delectabatur libris sancti Augustini, praecipueque his qui de Civitate Dei praetitulati sunt*. Intelligebat quippe sapientissimus Princeps, Imperium cum Sacerdotio, Majestatem cum Religione, cum pace bellum, magnanimitatem cum moderatione, nullo melius post Litteras sacras auctore conciliari posse, quam Augustino: cujus lectione atque usu, cum privatas, tum regias virtutes, religionem, fortitudinem, prudentiam cum aliis acquiri, aut certe perfici, ornarique persuasum habebat.

Has dotes, Regibus tantopere expetendas, sed tam raro in unum coeuntes, singulari beneficio Deus in te sic profudit, Regum Maxime, ut non alio quam ipso duce ac praepatore ad fastigium perveneris earum virtutum, quae illustre Magni cognomentum Majestati tuae compararunt. Aliis regibus, etiam iis, quos passim praecelates existimant, satis fuerit eminere in singulis, nimirum esse aut religiosos, aut bellicosos, tranquillitatisve publicae amatores. In te omnes istae virtutes cum aliis ita conveniunt, ut te religione, justitia, moderatione, sapientia, tam bello, quam pace praestantissimum efficiant. Multi principum dum nomen suum armis celebrare ambiunt, constituendi regni abjiciunt curam, aliisque committunt: nonnulli unius pacis studiis intenti, rem bellicam insuper habent. Tu inter pacis studia bellicas artes animo agitas, et inter aridentes bellorum eventus pacem meditaris. Sed, quod paucissimis Regibus contingit, cum sis pace ac bello exercitatus, nulla unquam regni tui felicitatem interturbavit adversitas: ut omnes ultro agnoscant, te summis virtutibus cumulatum, providentia felicem esse, ubique Magnum.

Quam primum regni habenis manum admovit Majestas tua, Rex optime, religionis caput existimasti, ut teipsum tuosque regeres, et de componendis subditorum moribus, ac disciplina sedulo cogitares. Hinc oppressos ab infensissimis hostibus Christianos submissis auxiliis relevare ac tutari coepisti; tum ad Ecclesiae extinguenda discidia, finesque propagandos intendere animum; abrogatas revocare leges, novas sancire; faciles

interpellantibus præbere aditus, jus ore proprio dicere; renovare artes ac scientiæ; bonis præmia, malis supplicia proponere. Nec instabilia, ut fit, aut quasi momentanea fuerunt edicta legum tuarum, in quibus eadem, quæ in dictis promissisque tuis, constantia viget ac religio. Quantis minarum terroribus olim cautum est in furiosos ac perditissimos homines, qui singulari condito certamine, mutuam in cædem passim ruebant? Nec tamen grassantem labem compressit ista legum varietas, quas facilis in reos indulgentia et pudendæ gloriolæ nomen irritas reddebant. Id servatum erat constantiæ tuæ, Justissime Princeps, qui ejusmodi gladiatoribus condignissimum supplicium cum æterna infamiæ nota inexorabilis infligi jubes. Sic efficacius quam olim Trajanus, *quæ mala adimis, prospicis ne possint esse recidiva; uti quæ bona præstas, effcis ne caduca sint.* At quam scite in judiciis tuis observasti semper illud Augustinianum: *Nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter!* Namque ita rei sentiunt justitiæ tuæ gravitatem, ut severitatem causari non possint, et in ipsis etiam suppliciis æquitatem clementiamque tuam agnoscant. In his pacis studiis, Rex Prudentissime, bella præveniebas animo, tacitusque rem grandem agebas, ut ne alio, quam te imperatore esset opus, cum belli necessitas instaret.

Jam accedimus attoniti ad illa memoranda, in quibus caput illud toti orbi venerandum tot objecisti periculis, tot curis distraxisti animum, tot prodigiis stupentem distinuisti Europam. Et illa sola cogitatione assequi, nedum oratione explicare quis sufficiat? Simul ut nata est belli occasio ac materia, tum primum amice rem agis, ne ferias; minaris, ut terreas; terres ac mones, ne hostes imparatos invenias. Hinc procedis cum insigni militum delectu: mox decedit Rhenus Majestati tuæ, Rex Invictissime, arces atque urbes munitissimæ præsentia famaue tua exanimatæ turmatim veniunt in deditionem; ac demum conjurata in te Europa fere omnis, virtuti tuæ nonnisi victorias palmasque accumulat. Inter hæc, adversantium dolis, machinis, viribusque superatis, dum tibi ad votum succedunt omnia, dum paratæ sunt ad deditionem integræ provinciæ; tanta est moderatio tua, ut ex Augustini sententia, glorioso bello pacem modestam præferas. Confœderatos hostes de conditionibus disceptantes ad concordiam adducis; et qui belli dederas leges, das etiam pacis.

Quis in mediis tot tantarumque victoriarum tropæis mille triumphos Ludovico Magno repensos non existimet? Verum longe alia est mens tua, Rex ubique Victor, quam priscorum imperatorum, qui postquam hostes armis leviter attigerant, triumphis, triumphorumque impendiis subditos suos fatigabant. Majestatis tuæ iter a bello, imo a victoriis, placidum ac modestum, quasi plane a pace redeuntis: ut de hostium ferocitate ac superbia, de ipsa triumphorum pompa, non de patientia subditorum triumphare videaris. Hoc solo advertimus te victorem esse, Rex Christianissime, quod inter medios bellorum undequaque frementium impetus tranquilli ac securi sumus; et quod omnium Ecclesiarum festivos concentus, linguas ac voces Sacerdotum provocas ad celebrandum Dei numen, cui victoriarum tuarum gloriam acceptam referri jubes.

Mirabuntur sine dubio posteri, Rex maxime, tantam felicitatem cum ea moderatione conjunctam, ut nulla unquam cujusquam incondita locutio aut actio, impatientis animi motum a te excusserit. Mirabuntur profecto, et tantæ prosperitatis rationes a nobis exigent. At, si Ausonio credimus, *rationem felicitatis nemo reddit.* Imo vero facile est reddere, si non de aliorum principum, certe de tua, Fortunatissime Princeps, felicitate, quam non incerti casus rerumque eventus, non cæca fortuna regit; sed certissima et inconcussa ratio. Si religionem tuam consulimus, hanc felicitatem totam refundes in singularem Dei providentiam, e cujus nutu pendent imperia, imperantiumque conditio. Si Augustinum, eam tribuet etiam justitiæ tuæ: quippe qui christianos imperatores hoc nomine felices dicit, *si juste imperant, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam faciunt.* Denique si nos ipsos interrogamus, hanc felicitatem insuper ascribemus incomparabili genio cœlitus tibi concesso: cujus ea vis est ac magnitudo, ut dubiorum eventuum causas dirigas ad destinatum finem, ipsosque eventus præoccupes, et incursum obicibus aditum præcludas. Hæc est vis, qua res pene infinitas, longe dissimiles ac intricatas, sine molestia, quasi otiosus, animo complecteris. Hac merita discernis præstantium virorum, quos publicis rebus tanto cum delectu præficis. Hac ades etiam locis omnibus, et factis omnium. *Tu simul omnia perfundis; ut Sol, non parte aliqua, sed statim totus, nec uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur.* Inde procedunt rectissima de rebus omnibus animi tui judicia, illa oris majestas, graves illæ sententiæ, dicta illa nunquam non ad rectæ rationis limam ex tempore prolata, qualia vix assequatur sapientum meditata oratio.

Verum illud cumulum addit felicitati tuæ ac nostræ, Rex Augustissime, quod Natum instituas similem tui. Quod talem genueris, naturæ est: quod similem tui efficias, sapientiæ tuæ. Nam Serenissimum Delphinum non tantum assiduis selectissimorum Virorum præceptis, sed maxime paternis monitis exemplisque ad bene regnandum informas; et reviviscentibus in te uno omnium heroum præclare factis palam demonstras, nihil magis gloriosum contingere posse Ludovici Magni filio, quam parenti morem gerere, et quam proxime accedere imitando.

Postremo imperii tui felicitati, Rex Pacifice, ascribimus, quod sancti Augustini operibus emendandis, restituendis, illustrandis incumbere nobis licet. Quietis hæc per te mediis in bellis partæ otia ac negotia sunt. Neque enim inter armorum strepitus operosa hæc studia terere vacaret, aut vero reflorescerent artes omnes, nisi sub tuo principatu esse tutis liceret. Nunc autem quid non Augustino, quid non bonis litteris, quid non omnibus de communi pace sperandum? Nobis unum superest simplexque votum; nimirum ut Deus Optimus Maximus continuis rerum secundarum successibus, quos beata demum claudat immortalitas, Majestatem tuam